

## PRAEFATIO.

**C**armina ista laborem jucundum Demetrii cognomine Karakafse esse scias : Qui etsi quippe medicus occupatus fuerat, tamen quando jam ab ope medica vacabat, animum suum delectabat modulata carminum compositione, declarans per eam omnes illas medicas cogitationes, quas in genere mente sua agitabat, quarum alias quidem sibi comparavit, cum olim viros exercitatos atque eruditos audiebat, prius quidem Hallae, postea vero Vindobonae, in quibus talium Medicorum frequentia fuerat: alias vero usu ac evolutione librorum tam recentiorum, quam vetustorum sibi quondam collegit: alias denique per experientiam et diligentem observationem multos frequentans aegrotos, multis antea in locis, postea vero in Dacia, observans et indagans ea quae illis contigerunt, cum tempore et indefesso labore sibi acquisivit. quas quidem modulata oratione edere sibi proposuit, nullas fabulas fictas per eam componens,